

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Avctoriare Et Svb Avspiciis ... Domini Gvilielmi IX. ...  
Academiae Rectoris ... Ad Novi Magistratvs Academici  
Inavgvrationem Ipsis Calendis Ianvarii A. MDCCLXXXVIII  
Celebrandam ... Invitat ...**

**Münscher, Wilhelm**

**Marbvrgi, [1799?]**

**VD18 1332246X**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-7906**

1421  
31

A V C T O R I T A T E  
ET.  
S V B A V S P I C I I S  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS  
D O M I N I  
G V I L J E L M I IX.

H A S S I A E L A N D G R A V I S R E L.

A C A D E M I A E  
R E C T O R I S M A G N I F I C E N T I S S I M I

A D  
N O V I M A G I S T R A T V S A C A D E M I C I I N A V G V R A T I O N E M

I P S I S C A L E N D I S I A N V A R I I A . C I O C C C L X X X V I I I I  
C E L E B R A N D A M

E A , Q V A P A R E S T , R E V E R E N T I A E T H V M A N I T A T E  
I N V I T A T

A C A D E M I A E P R O R E C T O R

G V I L J E L M V S M E N S C H E R  
T H E O L O G I A E D O C T O R E T P R O F E S S O R O R D I N A R I V S , S E R E N . L A N D G R A V I O  
I N S E N A T V E C C L E S I A S T I C O A C O N S I L I I S , E T E C C L E S I A R V M  
R E F O R M A T A R V M I N H A S S I A S U P E R I O R I I N S P E C T O R .


---

*An Dialogus cum Tryphone Infilino Martyri recte adscribarur, disquiritur.*

---

M A R B V R G I  
T Y P I S K R I E G E R I A C A D E M I A E T Y P O G R A P H I .





Faint, mirrored text from the reverse side of the paper is visible through the sheet. The text is mostly illegible but appears to be organized into lines and possibly includes some numbers or dates.



**M**agni interest in Historia probè cognoscenda et accurate tradenda, fontium, ex quibus hauriatur rerum in facto positarum notitia, indolem nosse, et auctoritatem recte aestimare. Inde fit, ut de *diveris* monumentorum historicorum summa attentione et cautione fit disquirendum. In aprico enim est, minui plurimum atque mutari testimonii alicuius auctoritatem, si auctor eius incertus, aut plane alius deprehendatur, quam vulgo credebatur. Praesertim in religionis et ecclesiae Christianae Historia antiquiori libros genuinos a spuris distinguendi solertia est opus. Constat enim primis saeculis rei Christianae saepius libros auctoribus esse adscriptos, a quibus nequaquam erant profecti, et plura recentioris temporis scripta antiquitatis titulum ementitum prae se ferre. Huius rei causae interdum ab errore, interdum a dolo repetendae sunt. Cum homines artis criticae ignari, vel inscriptionem libri falso interpretarentur,

tarentur, vel duos eiusdem nominis scriptores confunderent, vel rumorem tantum incertum sequerentur, factum est, ut in designandis librorum auctoribus errarent. Exemplo esse potest, quod Apostolicum vocatur, Symbolum, absque dubio primum non aliam ob causam, quam quod conveniret Apostolorum doctrinae, ita appellatum, deinde vero, male intellecta inscriptione, ad ipsos Apostolos auctores relatum. Saepius tamen fraus, pia quidem dicta, at satis impia, librorum spuriorum foecunda fuit mater. Fuerunt inter Christianos, qui, vel religionem suam aliis commendaturi, vel opinionibus suis singularibus vetustatis specie auctoritatem conciliaturi, libros ementito veterum scriptorum nomine in medium proferrent. Nota sunt ex hoc scriptorum suppositorum genere oracula Sibyllina, Testamentum duodecim Patriarcharum, liber Hystaspis, libri Dionysii Areopagitae aliaque plurima.

§. II.

In tanta librorum spuriorum multitudine non satis commendari potest Historiae ecclesasticae cultori sedula cura, ne librorum inscriptionibus temere credat, iisque fidem habens scripta supposita pro genuinis arripiat. Insigniter igitur isti viri de Historia meriti sunt, qui in detegenda origine librorum, vel errore vel ex fraude pro authenticis habitorum, operam posuerunt, inter quos nomina Centuriatorum Magdeburgensium, Ioannis Dallaei, Davidis Blondeli, Ioannis Salomonis Semleri et aliorum eminent. Verum ex altera etiam parte cavendum est,



ne nimia in libris spuris detegendis solertia studioque abrepti, et genuinos abiciamus, aut indubium vocemus. Facile enim fieri potest, ut mentis acies, quanto magis in observandis notis, quibus supposita scripta prodantur, exerceatur, tanto proclivior ad suspicionem evadat, et interdum vel in iis, quae satis certa sint et explorata, haereat. Quod Semlero, Viro sagacissimo nonnunquam accidisse videtur. Qui cum fictorum librorum magnam copiam videret, hisque detegendis summa contentione animum adverteret, vel de eis libris dubitare coepit, quorum *evderris*, uti nobis videtur, satis firmo nititur fundamento. Huc pertinent, quae de Clementis prima ad Corinthios epistola et de Irenaei adversus Gnosticas haereses libris dixit a). Pari modo iam ineunte nostro saeculo dubiae originis quibusdam visus est Dialogus cum Tryphone, quem magno consensu cum veteres tum recentiores Iustino Martyri tribuerunt b). Nuper ven. Langius ad novum Dialogi accessit examen, eumque alii quam Iustino auctori tribuendum esse, novis argumentis confirmare frudit c). Digna certe res est, quae accuratius expendatur.

a) In der historischen Einleitung vor S. I. Baumgartens Untersuchung der theologischen Streitigkeiten 2r Th. p. 16. p. 131.

b) C. G. Kochii Iustini Martyris cum Tryphone Judaeo Dialogus secundum regulas criticas examinatus. Kilon, 1700. Cui opposita est Alb. a Felde epistola — de Dialogo Iustini M. cum Tryphone Judaeo. Schlesv. 1700. cf. Walchii Bibliotheca patristica p. 216.

c) In opere doctissimo: Ausführliche Geschichte der Dogmen oder Glaubenslehren der christlichen Kirche. 1r Th. p. 137 fqq.



datur. Aequè enim vitandum est, ne auctori librum perperam tribuamus, et ne genuinum temere sollicitemus. Quo enim pauciora supersunt Christiana primorum saeculorum monumenta, eo magis cavendum est, ne haec iniqua suspitione incerta reddantur. Mihi quidem, ut libere profitear animi sententiam, rationes in medium productae non adeo graves videntur, ut Dialogum in librorum spuriorum numerum referamus. Itaque haud alienum a re existimavi, ea, quae vim illorum argumentorum frangere, et Dialogi *γνησιότητα* tueri possint, exponere. Quae dixerò, lectores tanquam dubitanter dicta accipiant velim. Cum enim univèrsae liti dirimendae ista non sufficere probe intelligam, ad sententiam mutandam, si rationes meae iusto leviores reperiantur, ero paratissimus.

§. III.

Iustini nomen quaedam scripta prae se ferunt, quae, uti omnes agnoscunt, ad alium eumque recentiore auctorem sunt referenda, exempli gratia *Ανατροπή δογματων των Αριστοτελικων, Εξατηρις Χριστιανικη προς Έλληνας* et alia, quae Veteribus ignota fuerunt, et satis aperta serioris aetatis sibi impressa habent vestigia. Quomagus suspicio etiam de Dialogo cum Tryphone oboriri possit, eum, uti illa scripta, Iustino fuisse affictum. Nec tamen haec suspicio argumenti loco haberi potest. Quis enim omnes libros, auctori alicui adscriptos, spurios habendos esse iudicet, quia aliquot tales deprehenderit? Alia igitur ratio instituendum est Dialogi examen, cuius duplex via patet, altera, in qua Veterum

rum testimonia excutiantur, altera in qua, ad argumentum stilum-  
que quin ad totam libri indolem attendentes dispiciamus, an  
haec in Iustinum auctorem quadrent. Quod ad viam priorem,  
five ad antiquitatis testimonia attinet, iam concessit S. R. Lan-  
gius, scriptores antiquos, quotquot Dialogi meminerint, eundem  
ad Iustinum M. referre. Quare non opus est, ut in eorum te-  
stimoniis afferendis immoremur. At eruditus quidam operis Lan-  
giani Censor *d)* monuit, nec haec antiqua testimonia ita certa  
et aperta esse, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Eis enim  
solummodo confirmari, conscripisse Iustinum Dialogum aliquem  
cum Tryphone, at neutiquam inde colligi posse, hunc librum  
a Veteribus laudatum eundem nostrum esse Dialogum. Quae  
certe non sine veri specie dicta essent, si tantum in genere Iu-  
stinus Dialogi cum Tryphone auctor ab antiquis scriptoribus  
perhiberetur. Verum superest Eusebii descriptio Dialogi accu-  
rata et luculenta, quae tam perfecte cum nostro convenit, ut  
non aliquem tantum Dialogum, sed nostrum ab Eusebio Iusti-  
no tribui appareat. Locus exstat in Eusebii Historia ecclesiasti-  
ca l. IV. c. XVII. *Και διαλογον προς Ιουδαιους συνεταξεν (Ιουστινος),  
ην επι της Εφεσιων πολεως προς Τρυφωνα των τοτε Εβραιων επισημο-  
τατον πεποιηται εν ω τινα τροπον η θεια χαρις αυτον επι τον της  
πιστειως παραβρημησε λογον δηλει. Οποιαν τε προτερον περι τα φιλο-  
σοφα μαθηματα σπουδην εισεινηενται, και οσην εποησατο της αλη-  
θειας ενθυμοτατην ζητησιν. e).* *Ιστορει δ' εν αυτω περι Ιουδαιων, ως*  
*κατα*

*d)* Neue allgemeine deutsche Bibliothek 31 B. p. 7.

*e)* Haec accurate respondent iis. quae in nostro Dialogo p. 218. (Iust. Opp. ed. Col.) narrantur.

κατὰ τῆς τῆ Χριστῆ διδασκαλίας ἐπιβλήν συσκευασάμενάν, αὐτὰ  
 ταῦτα πρὸς τὸν Τρυφῶνα ἀνατεινομένος. Οὐ μόνον δὲ οὐ μετανοήσα-  
 τε ἐφ' οἷς ἐπραξάτε κακῶς, ἀλλὰ ἀνδρας ἐκλεκτοὺς ἐκλεξάμενοι τότε  
 ἀπὸ Ἱερουσαλήμ, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν λεγόντες, αἵρεσιν  
 ἄθεον χριστιανῶν πεφανθῆαι. καταλεγόντες τε ταῦτα, ἀπερ καθ' ἡμῶν  
 οἱ ἀγνοῶντες ἡμᾶς ἀπάντες λεγῆτι ὡςτε οὐ μόνον ἑαυτοῖς ἀδικίας  
 αἰτίωι ὑπαρχετε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπάσι ἀπλῶς ἀνθρώποις f).  
 Γραφεὶ δὲ, αἷς ὅτι μεχρὶ καὶ αὐτοῦ χάρισματα προφητικὰ διελαμπῶν  
 ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας g). Μομνηταὶ δὲ καὶ τῆς Ἰωάννης ἀποκαλύψεως,  
 σαφῶς τῆ ἀποστολῆς αὐτὴν εἶναι λεγῶν h). Καὶ ρητῶν τινῶν προφη-  
 τικῶν μνημονεύει, διελεγχῶν τὸν Τρυφῶνα, ὡς ἂν περιουσιῶν αὐτὰ  
 Ἰουδαίων ἀπὸ τῆς γραφῆς i). Hac descriptione Eusebii et his  
 locis, quae ex Dialogo excerptit, adeo aperte nostrum  
 Dialogum designari patet, ut alius et diversus intelligi ne-  
 queat. Nec est, quod Vir ille eruditus ad Grabium pro-  
 vocet, qui quaedam Iustini fragmenta in nostro Dialogo non  
 exstantia collegerit k). Observandum enim est, Grabium solum-  
 modo ex coniectura haec fragmenta, in antiquis membranis Iu-  
 stini

f) Haec iisdem verbis expressa leguntur in Dialogo p. 234. 235.

g) Cf. Dial. p. 258 et 315.

h) Apocalypsis disertis verbis Ioanni, uni ex Apostolis tribuitur p. 303.

i) Occurrit haec Iudaeorum accusatio p. 297.

k) In Spicilegio patrum et haereticorum sec. II. p. 174.

stino (sine mentione libri) adscripta, Dialogo cum Tryphone attribuere, aliis vero rationibus p. 160 et 161 expositis motum existimare, ex aliqua parte mancum ad nos pervenisse Dialogum.

§. IV.

Satis igitur constat, iam ab Eusebio Dialogum nostrum genuinum Martyris opus esse habitum. Quod etiam S. R. Langius non in dubium vocavit, sed ex solis argumentis, quae interna dicuntur, probare annisus est, librum istum ab alio quam Iustino auctore confectum esse. Nec ego, etsi Veterum testimonia in hac quaestione historica magni faciam, neque ea temere reiicienda esse existimem, in eius partes transire dubitaverim, si ex indole et argumento libri probatum fuerit, eum in Iustinum plane non cadere. Eam vero probationem, qua antiquorum testimoniorum auctoritas labefactetur, claram et indubiam esse oportet, nec solis coniecturis et comparationibus lubricis niti. Omnem, exempli gratia, litem diremptam esse faterer, si Dialogi auctor se Iudaeum ipse appellaret, eoque a Iustino Neapoli-Samaritano clarissime se distingueret. Affert hunc in finem S. R. Langius locum: *Εἰμι δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς -- ἐν τῇ Ἑλλάδι πολλα διαγών 1)*. Verum totus loci nexus docet, hanc descriptionem minime ad auctorem libri esse referendam. Non enim Christianus cum Iudaeo disputans, sed ipse Trypho

1) Dogmengeschichte p. 145. Verba Dialogi existant in Opp. Iust. p. 218.

Trypho Iudaeus, cuius ad Iustinum responsio narratur, Iudaeum se appellat, quod verba praecedentia: Τρυφῶν καλεῖμαι manifeste ostendunt. Longe aliter auctor Dialogi de se ipse loquitur, seque Samaritanum esse haud obscure profitetur *m*). Omisso igitur hoc argumento, quo nihil effici patet *n*), ad reliqua expendenda progrediamur, quae ad quatuor capita commode referri possunt; 1) totam cogitandi et scribendi rationem, in Dialogo obviam, abhorrere ab ingenio et stilo Iustini; 2) in Dialogo cerni apparatus eruditionis Iudaicae, qualis a Iustino expectari non possit; 3) deprehendi etiam doctrinas, ab iis, quas Iustinus in Apologiis exposuerit, non diversas modo, sed et eis repugnantes; 4) analogiae non esse consentaneum, Virum, qui ex paganorum castris ad sacra Christiana transiisset, in confundendis Iudaeis fuisse occupatum. Si ad singula haec capita responderimus, satisfecisse proposito nostro videbimur.

## §. V.

Primum quidem materiae delectu scribendique ratione auctorem Dialogi a Iustino diversum prodi affirmatur. In huius enim

*m*) Οὐδε γὰρ ἀπο τοῦ γένους τοῦ ἰμοῦ, λέγει δὲ τῶν Σαμαριτῶν p. 349.

*n*) Vix dubito et ipsum V. R., qui locum modo memoratum adduxit, eundem non de Christiano auctore sed Iudaico disputatore intellexisse, et solummodo significare voluisse, talem esse ipsum libri auctorem, qualem adversarium suum describat. Verum cum mentem suam obscurius declaraverit, quaedam de hac re monere non alienum erat, ne lectori, cui Iustini opera ad manus non sint, argumentum gravissimum intactum reliquisse videar.

venim Apologiis agnosci scriptorem mediocri ingenio praeditum, nullisque doctrinae praefidiis instructum, qui nec lucidum ordinem servare, nec dictionis venustate lectorum animos delectare didicerit. In Dialogo vero apparere auctorem cum multifaria doctrina et ingenii acumine pollentem, tum in scribendo exercitatum. Quisquis solidam amat crisin, in hoc iudicio uberiorem rationum expositionem desiderabit, nec non optabit, ut accurate sit expositum, quibus indiciis auctor Apologiarum se imperitum, mediocrisque ingenii virum declaret, auctor vero Dialogi ingenii insignibus dotibus scribendique facultate instructum se ostendat. Non enim cuivis, quamquam diligenter utraque scripta comparanti, haec diversitas in oculos incurret. Quod ad stilum attinet, iudicium de eius discrimine incertum et ambiguum esse omnes norunt, cum a sensu lectorum saepe diverso pendeat. Ego quidem, qui saepe Iustini scripta attentè perlegi, inter Dialogum et Apologias non eam stili differentiam observavi, quae diversos auctores prodat. Cum e. gr. epistolam ad Diognetum, quae etiam inter Iustini opera est relata, legerem, periodorum concinnitatem, crebrasque quae occurrunt *avridetes* aliud quam Iustini ingenium spirare facile sensi. Talem vero orationis diversitatem in Dialogo me deprehendere non posse fateor, etsi in ipso, quia quaestionibus Iudaei, ad quas respondet Christianus disputator, sermo continuus interruptitur, stilus minus diffusus et languidus videatur, quam in Apologiis oratione continua eodemque tenore fluentibus. Pariter nec ingenii et acuminis subtilioris indicia certa in Dialogo, quam in Apologiis deprehendi existimo, si id excipias, quod

prioris

etiam in Dialogo per se esse videtur.



prioris libelli scopus occasionem dederit quaedam accuratius exponendi. In utrisque allusiones coactae, argumentaque longius petita occurrunt, similia quidem, at in eo tantum diversa, quod in Dialogo ad captum Iudaeorum, in Apologiis vero ad captum paganorum sint accommodata. Quod ut exemplo illustrem, conferri merentur, quae de cruce Christi dicuntur. In Apologia maiori monetur, crucis figuram toti naturae esse impressam, eamque in antennis navium, in instrumentis agriculturae, quin in ipsa hominis forma conspici o). In Dialogo autem crucem Christi designari docetur ligno vitae in paradiso, baculo, quo Moses usus erat, scala, quam Iacobus in somnio vidit etc. p). Quae omnia simile ingenium, studiumque quaevis argumenta, cuiuscunque momenti sint, corradendi spirant, etsi pateat, in eadem re exponenda illic paganorum, hic Iudaeorum rationem esse habitam. — Deinde nec ordine, materiaeque delectu multum superare Dialogus videtur Apologias. In illo enim non minus quam in his haud raro repetuntur eadem res, digressionesque a serie orationis alienae immiscetur q). Notitias tandem Dialogi auctor copiosiores monstrasse perhibetur, quam Iustinus sibi comparatas habuerit. Verum quis notitiarum, quae Iustino inerant, ambitum ex duobus iisque brevibus libellis Imperatoribus Romanis dicatis diiudicet? Quis credat ipsum in his omnia, quae sciret, ita exhaustisse, ut in alio libro, alium

o) Apol. mai. p. 90. sicut et in Dialogo p. 216. 264. 292. aliaque plurima loca.

p) Dial. p. 312. 313.

q) Comparentur e. gr. in Dialogo p. 216. 264. 292. aliaque plurima loca.

in finem scripto, notitias praeter ibi expositas nullas in medium proferre potuerit? Non potest negari, in Dialogo plura contineri, quae in Apologiis frustra quaeras, verum disquirendum est, an in his eorum proferendorum occasio, locusque commodus fuerit. Apologiae Imperatoribus Romanis erant dicatae, Dialogus ad refutandos Iudaeos erat scriptus. In illis alienum a consilio auctoris erat, Iudaeorum opiniones et ritus respicere et explicare, quod in hoc ipsum libri institutum poscebat. — Quae cum ita sint, id, quod Dialogo cum Apologiis intercedit, discrimen, commode ad finis diversitatem referri potest, nec opus est, ut ad auctoris diversitatem referatur.

§. VI.

Alterum argumentum, quo, Dialogum non esse genuinum Iustini scriptum, contenditur, inde repetitum est, quod in illo apparatus eruditionis Iudaicae deprehendatur, qui a Iustino expectari nequeat. Iustinus familia pagana oriundus, ipse, antequam Christo nomen daret, paganus fuerat. Non igitur verisimile est, eum in Theologia Iudaica fuisse versatum, cuius Theologiae etiam nulla in Apologiis exstant documenta. Colligitur itaque ad auctorem potius Iudaeo Christianum referendum esse Dialogum.

Verum et haec argumentatio non satis certa et explorata esse videtur. Theologiae Iudaicae cognitio, in Dialogo conspicua, eo redit, ut auctor saepissime veteri Testamento utatur, ex eoque vaticinia plurima ad probandam fidei Christianae veritatem

tem

tem proferat, ut praeterea quasdam obiectiones, quibus Iudaei vim probandi illorum vaticiniorum infringere solerent, cognititas habeat, ut tandem typis imaginibusque ad Christum pertinentibus in V. T. exquirendis sedulam operam impendat. Ulus V. T. creberrimus omnibus Christianis praeter Gnosticos communis erat, nec Christiani aliam viam ad confutandos Iudaeos, quam vaticiniorum prophetiarum exponendorum, inire consueverant. Iam in Apologia maiore Iustinus plura prophetarum loca memoraverat, ut lectoribus praestantiam et divinam originem religionis Christianae persuaderet <sup>r</sup>). Si itaque haud parca manu prophetarum effata Imperatoribus Romanis, quibus V. T. libri incogniti erant, expromsit, mirari nemo debet, eundem in libro Iudaeis, apud quos summa V. T. erauctoritas, scripto, maximam oraculorum prophetiarum copiam profudisse. — Ratio deinde habetur in Dialogo interpretationum, quibus Iudaei argumenta Christianorum a vaticiniis petita eludere studebant <sup>r</sup>). Nec harum interpretationum cognitionem a Iustino alienam esse ostendi potest. Illi enim, in ipsa Palaestina nato, pluresque regiones peragranti, occasio Iudaeorum placita cognoscendi deesse non poterat. Quid porro est, cur dubitemus, Iustinum disputationibus cum Iudaeis habitis eorum obiectiones cognovisse? Etsi enim Dialogum cum Tryphone non viva voce habitum existimem, verisimile est tamen, auctorem saepius de iis, quae in eo tractentur,

aucto-  
<sup>r</sup>) p. 72 — 88.  
<sup>r</sup>) Dial. p. 262. 285.

controverfiis, cum Iudaeis esse collocutum t). Neque tandem, auctorem Dialogi hominem Iudaeo Christianum fuisse, inde colligi potest, quod typorum exquirendorum et explicandorum admodum studiosum se ostendat. Studio comparandi vetus Testamentum cum doctrina Christiana, et quamvis eius paginam ad Christum referendi, omnes eius temporis Christiani tenebantur. Ab omnibus enim, si a Gnosticis discesseris, dogma suae fidei primum habebatur, Iesum esse Messiam Iudaeis promissum, ad quod dogma confirmandum vaticiniis et typis V-T. utebantur. Non igitur ex typis, in Dialogo cum Tryphone multa cura expositis concludere licet, auctorem libri Iudaeo Christianum et a Iustino diversum fuisse. Quot e. gr. typicae et allegoricae V. T. explicationes in scriptis Clementis Alexandrini occurrunt, etsi haec scripta minime ex instituto Iudaeis sint opposita! Multo minus mirum videri potest, Iustinum, qui aequae ac Clemens ad Iudaeo Christianos non pertinebat, in libro, cuius institutum disputationem cum Iudaeis de V. T. interpretatione poscebat, typos allegoriasque sectatum fuisse. Auctorem Dialogi tandem haud perfecta Theologiae Iudaicae cognitione imbutum, linguaeque hebraicae prorsus rudem fuisse, vel ex imperita et inepta vocis *Σατανας* etymologia satis patet u).

## §. VII.

7) In Apologiis Iustinus satis declarat, se disputationes cum aliter sentientibus studiose expetere, plurimumque iis delectari. Paratus est ad disputationem cum Crescente Philosopho Epicureo ineundam, additque: *βασιλειον δ' ἐν και τούτο ἔργον ἐστίν.* Apol. min. p. 47.

u) Ὑπο τοῦ Ἰησοῦ Σατανᾶς προσηγορεύεται, ὄνομα ἀπο τῆς πρᾶξεως, ἧς ἐπραξεν συνδραστηρικῶς ἐν τῇ ἐκείνῃ ἡμέρᾳ.



Venimus iam ad argumentum, quod inter omnia praecipuum et gravissimum videtur. Inesse dicuntur Dialogo doctrinae, ab iis quae in Apologiis Iustini tradantur, non diversae modo, sed aperte etiam iis contrariae, quo discrimine in alium esse Dialogi quam Apologiarum auctorem certa ratione effici putatur. Haud pauca tamen, quae respondeam, adfunt. Primum consentientes me habiturum confido artis criticae peritos, si iudicium, quo libri uni scriptori attributi, ob sententiarum aliquarum diversitatem et repugnantiam ad diversos auctores referantur, curam et cautionem maximam postulare contendam. Vel acuti scriptores non semper sibi constant, contrariasque interdum sententias defendunt, vel ex memoriae aut attentionis vitio, vel ex animi quadam fluctuatione, vel ex studio sententiam suam lectorum captui accommodandi. Minus accurate igitur ageremus, saepissimeque falleremur, si hanc legem criticam scriberemus: Libri, quorum quaedam sententiae inter se pugnant, eiusdem auctoris esse non possunt. In primis ad eos scriptores, qui ea, quae scribant, diligenter expendere, et notionibus satis distinctis et definitis operam dare non solent, ista lex applicari sine aperto errandi periculo non potest. Nec igitur in ecclesiae Patres quadrat, quorum plurimos minus accurate in scribendo fuisse, neque semper sibi constare omnibus notum

τῶ κτησαμένῳ αὐτοῦ μνησθῆναι. το γὰρ σατα τῆ Ἰουδαίων καὶ Συροῦ Φωνῆ, ἀποσταθῆς ἐστὶ τοῦ δευτέρου λόγου, ἐξ οὗ ἡ ἑρμηνεία ὀφεί ἐκλήθη, ταῦτα ἐστὶ σατα τῆ Ἑβραίων ἑρμηνεύσεως Φωνῆ, ἐξ αὐτῶν ἀμφότερων τῶν εἰρημιστῶν, ἐν ἑσόμεν γινῆται σκταίνης Dial. p. 331.

tum est x). Praeterea alia accedit ratio, ob quam in scriptis Patrum facile evenire poterat, ut aliqua loca cum aliis pugnant. Amabant enim et amplectebantur fere omnes *εὐνομίαν*, animique sententiam dissimulare non dedignabantur, simulac eo modo finem suum certius tutiusque se affecuturos esse sperarent. Quod etiam de Iustino valere, Apologiae maioris diligens lector facile observabit. Quanta ibi cura studioque Iustinus capti paganorum se attemperat! Quam sollicitus est, ut quamlibet inter utramque religionem similitudinem ante oculos ponat, dissimilitudinem vero, quantum fieri poterat, celet! Comparat e. g. Mythologiam Graecorum cum fidei Christianae quibusdam capitibus, certe non eum in finem, ut eadem pari fide digna esse ostendat, sed ut pagani Christianis doctrinis minus offendantur, faciliusque his assensum praebeant \*). Etiam si itaque clarissime monstraretur, inesse Dialogo cum Tryphone quaedam, quae in utraque Apologia dictis repugnent, nondum certa et liquida esset conclusio, Dialogum Iustino tribui non posse. Disquirendum potius esset, anne causae quaedam excogitari possint, quare auctor hic aliter quam aliis locis sit locutus. Tum demum, si eiusmodi causae reperiri nequeant, aut si tales repugnantiae occurrant, quae a viro, cui sanum sit sinciput, expectare nemo possit, valeret illa conclusio. Non igitur opus esset

x) In Apologia maiore occurrere descriptiones sancti Spiritus inter se pugnantibus observat ipse S. R. Langius et eis conciliandis operam navat ita tamen, ut sibi ipse non satisfacisse videatur l. c. p. 117, 118.

\*) Apol. mai. p. 66 — 68.



effet, ut loca singula, quae pugnare inter se V. Langius existimavit, conciliemus, sed, ne quid deesse videatur nostrae disquisitioni, et hoc tentabimus.

## §. VIII.

Primum iudicia, quae de graeca Philosophia feruntur, repugnare sibi putantur. Huius enim Philosophiae Apologiae cum laude et commendatione mentionem faciunt, Dialogi vero auctor eam contemnere et reprehendere videtur. — Verum enim vero etiam si veram repugnantiam his iudiciis inesse concedamus, nondum, uti iam praecedente §pho monuimus, sequeretur, alium quam Iustinum Dialogi esse auctorem. Rationes enim probabiles eaeque gravissimae reddi possunt, cur diverse Iustinus de Philosophia graeca iudicaverit. Attendendum enim est ad dispar consilium, quo isti libelli conscripti sunt. In Apologiis proposuerat sibi Iustinus, ab Imperatoribus eam indulgentiam et impunitatem, qua Philosophi graeci fruebantur, Christianis impetrare y). Nulla videbatur certior et tutior via, qua persuaderet imperatoribus, iniustas esse, quibus Christiani premebantur persecutiones, quam si ostenderetur, Philosophos graecos, quibus non impunitas solum concessa erat, sed qui magni aestimabantur, haud procul abfuisse a Christianorum sententia, eodemque quo hi modo Polytheismi insaniam derisissent. Ipse Iustinus non Imperatores tantum, quibus maiorem

Apo-

y) Ostendit etiam Iustinus, quam iniquam sit, Philosophos Atheos tolerari, Christianos Deum summum profitentes puniri, Apol. mai. p. 55.

Apologiam dicaverat, Philosophos appellat  $\alpha$ ), sed alter eorum Marcus Antoninus, cui minor Apologia inscripta est, insigni amore et cura Philosophiam amplexus erat. Quomodo igitur talibus lectoribus facilius suam Christianorum defensionem approbaret  $\alpha$ ), quam monstrando, non profus absimilem esse Christi doctrinam Philosophorum dogmatibus. Penitus reiicere Philosophiam et contemnere a consilio eius alienissimum fuisset. Alia et plane diversa Dialogi cum Tryphone est ratio. Continet hic disputationem cum Indaeo, qui V. T. libros veneratione prosequatur, hosque solos verae religionis fontes esse existimabat. Praeterea, quae minus favere videntur Philosophiae graecae iudicia, occurrunt fere omnia in colloquio, quod senex quidam cum Iustino ideo habuisse narratur, ut hunc Philosophiae graecae adhuc deditum, ad fidem Christianam suscipiendam perduceret. Consilium igitur loquentis postulabat, ut naevi Philosophiae Platonicae exponerentur, et comparatio eius cum religione Christiana talis institueretur, qua hanc illa longe praestantior esse appareret. Si igitur iudicia in Dialogo cum eis, quae in Apologiis lata sunt, non conveniant, repugnantia, quae adesse videtur, facile tolli potest, modo teneamus, haec *εικονομικως* ad Imperatores, illa *αγωνιστικως* adversus Platicum Philosophum, qualis tunc, cum oclloquium cum sene haberet, describitur Iustinus, esse pronunciata.

## §. IX.

$\alpha$ ) pag. 53.

$\alpha$ ) Parum interest, an Apologiae Imperatoribus re vera exhibitae sint nec ne. Semper ita scribi debebant, ut exhiberi illis sine offensione possent.

Attamen et id addendum est, diversa illa de Philosophia iudicia, si accuratius expendantur, a repugnantiae specie, quae ipsis inesse dicitur, facile, me quidem iudice, liberari. Reprehenduntur Philosophi in Dialogo, laudantur in Apologiis. Nonne utraque bene conveniunt et conspirant, modo ex aliqua parte Philosophis laus, ex alia vituperium tribuatur. Quod et a Iustino factum esse excutiendo singula loca demonstrabimus. In Apologiis se amicum atque patronum Philosophorum exhibet, at minime talem, cui omnia eorum placita probentur, quod locus insignis extra dubium ponit *b)*, quo simul, comparatione cum Christiana doctrina instituta, omnes Philosophorum notitiae tenues et imperfectae declarantur. Laudatur Socrates, Daemonumque cultum a λογω incitatus reprehendisse *c)* et Daemonum instinctu mortem oppetiisse dicitur *d)*. Omnes qui ante Christum μετα λογων vixerant, Christiani vocantur, uti Socrates

*b)* Ουχ' ἐτι ἄλλοτερι ἐστὶ τὰ Πλάτωνος διδασκαλία τῶν Χριστοῦ, ἀλλ' ἐτι ἐκ ἐστὶ παντὴ ἡμοῖα, ὡσπερ' οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων Στοικῶν τε καὶ ποιητῶν καὶ συγγραφεῶν. Ἐκαστος γὰρ τις ἀπο μέρους τοῦ σπερματικῆς θεοῦ λογῶν το συγγίνης ἔσται, καλῶς ἐφ' ἑαυτῶν· οἱ δὲ ταναντία αὐτοῖς ἐν κυριώτεροις ἐρεῖται, οὐκ ἐπιστημὴν τὴν ἀποκτῶν καὶ γίνωσκῶν τὴν ἀνελίχεται φησὶνταί ἔχοντες· ὅσα οὐν παρὰ πᾶσι καλῶς εἰρηται, ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν εἰσι. — οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες διὰ τῆς βουστῆς ἐμφυτοῦ λογῶν σπορας, ἀμυδρῶς ἰδύσαντο ὅταν τὰ ἑστὰ ἕτερον γὰρ ἐστὶ σπέρμα τῆς καὶ μιμημα κατὰ δύναμιν δοθέν, καὶ ἕτερον αὐτοῦ οὐ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνου ἢ μετουσίᾳ καὶ μιμησις. Apol. min. p. 51.

*c)* Apol. min. p. 48.

*d)* Apol. mai. p. 56.

crates, Heraclitus et alii his similes e), certe non eo sensu, quasi in omnibus doctrinis Christianae fidei convenienter docuerint, sed quod iustitiae et pietati, uti et Christiani faciant, studuerint f). Ex his locis si Iustini iudicium de Philosophia graeca repetamus, tale deprehendimus, cui non repugnent Dialogi loca. Repugnare quidem censentur ea, quibus omnes verae rectaeque de Deo notitiae a revelatione divina repetuntur g), omnisque proinde graeca Philosophia falsa vanaque declarari videtur. At optime omnia consentiunt, si modo constantem veterum Christianorum de origine Philosophiae graecae opinionem teneamus, qua omnia, quae a Graecis de religione recte dicta essent, ad divinam revelationem referebantur, utpote vel ex Mo-  
 sis vel Prophetarum scriptis a Philosophis hausta, vel singulari λογου in animis eorum efficientia ad ipsos delata. Ipse Iustinus Platonem quaedam ex scriptis Iudaeorum accepisse h) et anti-  
 quos

e) p. 83.

f) Dignus qui conferatur locus Minucii Felicis, auctoris, qui aliam Philosophiam graecis minime favebat, Socratemque scurram Atticum vocavit: Exposui opiniones omnium ferme Philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quisvis arbitretur aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos fuisse iam tunc Christianos. Oct. c. 20. Patet in hoc loco Christianorum nomen in Philosophos propter aliquam tantum similitudinem quodammodo transferri. Ita et Iustinus, etsi Philosophos quosdam Christianos vocet, procul abest, ut eorum doctrinam Christianae aequiparet.

g) Ευλογου σοι προ παντων φωνας ανοιχθηναι πυλας· ου γαρ δυνασται δυτε σπυρητα πασι εισι, τι μη τω Θεω δω και Χριστος τω συνιεναι Dial. p. 225.

h) Apol. mai. p. 92.



quos Philosophos a Logo monitos atque excitatos fuisse affirmat *i*). Pari modo nullam video repugnantiam, quando Prophetæ soli veritatem vidisse et edixisse dicuntur *k*). Praestantior enim omnibus humanis doctrinis Christianam Iustinus in Apologiis appellaverat, Philosophos vero non omnia, quae ad λογον pertinent, cognovisse, multaque inter se pugnantia protulisse iudicaverat *l*). Consentaneum igitur his erat, Prophetas ceu solos certos et fallere nescios ad veram cognitionem duces commendari. In ipso etiam Dialogo, animum hominis Deo agnoscendo, et iustitiae pietatisque pulchritudini perspicendae parem esse conceditur *m*). Quae vero in Philosophis reprehenduntur, e. gr. divisio eorum in plures sectas, cum unica tantum sit veritas *n*), eos plurima ignorasse *o*), de capitibus quibusdam male disputasse *p*), ab iis, quas in Apologiis

*i*) Apol. min. p. 46-48.

*k*) 'Ουτοι (προφηται) μοι το αληδες ιδον και εξειπον ανθρωποις Dial. p. 214.

*l*) Apol. min. p. 46.

*m*) Νοει αυτας (ψυχας) δυνασθαι, ετι εστι θεος, και δικαιοσυνη και ιουστεια καλον καγω συνιδημαι. p. 222.

*n*) Dial. p. 218. Etiam in Apologiis taxantur Philosophi, quod contraria dogmata protulerint. p. 48.

*o*) Dial. p. 224. cf. Ap. min. p. 48. Ου παντα τα του λογου ενταρισαν.

*p*) πας αν ορθως περι θεου φρασειν οι φιλοσοφοι η λεγοιεν τι αληδες, επιστημη αυτου μη εχοντες, μηδε ιδοντες, μηδε ακουοντες p. 221. Sed notandum est, επιστημη scientiam, quam intuitivam vocant, quae visu vel auditu accipitur, designare (επιστημη επιστημη appellatur Apol. min. p. 51), totamque quaestionem a fene ad confundendum Iustinum, Platonica sapientia tuae temporis tumentem, uti contextus docet, prolatam esse.

logiis Iustinus proficitur sententiis, haud sunt aliena, utigitur discordia opinata plane evanescat. Quod ut in luce clarissima ponatur, uno eoque illustri Clementis Alexandrini utamur exemplo. Inter omnes Ecclesiae patres, qui Philosophiam graecam ardentiore amore prosequeretur, studiosius defenderet et augustioribus ornaret elogiis Clemente vixit nullus. Attamen horum, quae in Dialogo de Philosophia graeca dicuntur, similia haud pauca in scriptis Clementis deprehenduntur, aperto documento, et Iustinum, quamvis graecae Philosophiae fautorem et patronum, talia iudicia minime dedecere. Clemens veritatem unicam esse asserit, quae a filio Dei doceatur *q*, graecam philosophiam non comprehendere veritatis magnitudinem *r*) longoque intervallo distare a Christianae doctrinae amplitudine et praestantia iudicat *s*), *επιστημην* Dei unquam Philosophos affectos fuisse, negat *t*). Haud temere cuiquam Philosopho credendum, sed ex omnibus optima quaeque eligenda esse studiose idem Clemens monet *u*). Plura loca etfi facili opera colligi possint, haec sufficiant, ut vel impenso Philosophiae graecae

*q*) Μικς ους αληθειας, παλλα τα συλλαμβανουσα προς ζητησιν αυτης (inter haec Philosophiam refert) η δε ευρεσις δι υιου. — Μονη δε κυρια αυτη αληθεια απαραγχειρητος, η παρ υιου του θεου παιδευομεθα Strom. I. I. p. 375. et 376 ed. Poit.

*r*) η μω μη καταλαμβανει η ελληνικη φιλοσοφια το μεγαθος της αληθειας — Strom. I. I. p. 366.

*s*) Strom. I. I. p. 349 et p. 376.

*r*) Strom. I. V. p. 695. 696, 730. cf. I. VI. p. 802 et 826. I. II. p. 453.

*u*) Strom I. I. p. 338.

graecae inter Christianos amicos pari modo, uti in Dialogo cum Tryphone factum est, Philosophiam reprehendisse pateat.

§. X.

Nec alia placita, quae in Dialogo traduntur, doctrinae in Apologiis propositae ita adversari videntur, ut ille ad eundem atque hae auctorem referri nequeat. Monuit quidem S. R. Langius corruptionem hominum naturalem, five peccatum ab Adamo ad omnes posteros propagatum ignorari a Iustino, satis perspicue vero doceri in Dialogo. Prius facile concedo, at de altero est, quod vehementer dubitem. Conspirant Dialogus et Apologiae, inesse homini voluntatis libertatem, qua rectum et iustum eligere, verum etiam malum amplecti possit *x*). Consentiant etiam, hanc libere agendi facultatem non olim solum, cum mortalium genus conderetur, a creatore menti humanae inditam esse, sed semper hominibus ita adesse, ut quisque sua tantum culpa fit malus *y*). At ab Adamo Dialogus repetit vitiorum inter homines originem *z*). Ego vero in loco laudato doctrinam, Adami peccato omnes homines vitiosos, vel ad vitia proclives redditos esse non reperio, sed homines inde ab Adamo morti et daemonum ad peccandum incitationibus expositos fuisse lego, quod certe ab illa doctrina multum dif-

fert.

*x*) Apol. min. p. 45. mai. p. 80. Dial. c. Tryph. p. 316. 329. 370.

*y*) Il. cc. c. gr. Ουκ αἰτία θεοῦ-ἢτε ἀγγελοῖ ἢτε ἀδελφοῖ γίνεται φασί, ἀλλὰ τῆ ἑαυτῶν ἰκαρῶς αἰτία τοιοῦτοι εἰσι. Dial. p. 370.

*z*) ὅτις τοῦ γένους τῶν ἀδελφοῖ, ὃ ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ ὑπο θανάτου καὶ πλῆθι ἔφθασε ἰσχυρῶς p. 316.

fert. Omnes enim fere antiquiores Ecclesiae patres satis aperte originem mortis ab origine peccati distinguunt. Mortis causam a primo Adami peccato repetere, peccati causam ad facultatem libere agendi cuilibet homini propriam referre solent *a*). Mortales igitur dicuntur homines propter Adamum, nec tamen propter eius peccatum peccatis obnoxii. At homines tamen subiecti daemonum potestati perhibentur. Sed vere non nisi expositi sollicitationibus daemonum dicuntur, quod optime respondet Apologiis, in quibus daemonum homines ad vitia pelliciendi studium saepissime memoratur *b*).

Adfertur et alius Dialogi locus, quo, auctori de peccato ab Adamo ad posteriores propagato persuasum fuisse, probetur. Παρθενος ούσα Έυα, τον λογον τον άπο του όφεις συλλαβουσα, παρακοην και θανατον έτεκε *c*). At his verbis, nisi vim iis inferamus, minime docetur, liberos Deo immorigeros et mortales ab Eva prognatos esse. Tunc enim statuendum esset, Evam hos liberos ex sermone serpentis concepisse. Depingitur potius ipsum Evae peccatum eiusque poena imagine, quae a partu concepto atque in lucem edito desumpta est, eum in finem, ut comparatio quaedam, quamvis longius petita, Evam inter et Mariam institueretur. Christus virgine nasci debuit, ut eadem, qua coeperat, via inobedientia a serpente effecta, abrogaretur

*a*) e. gr. Iren. l. V. c. 21. coll. l. IV. c. 37.

*b*) e. gr. Apol. min. p. 50. et 44. Apol. mai. p. 55. al.

*c*) Dial. p. 327.

tur d) i. e. sicut Eva virgo prima peccavit, ita opus erat, ut is, qui peccati vim compelleret, etiam matre virgine nasceretur. Eva enim virgo, serpentis sermonem concipiens, mortem et inobedientiam peperit i. e. serpentis persuasioni morem gerens in peccatum et mortem incidit. Maria vero, laetitia ac fide repleta, cum promissionem angeli, se matrem filii Dei futuram, acciperet, morigeram se praestitit. In tota comparatione id praecipue spectatur, utramque virginem, alteram morigeram, alteram inobsequentem fuisse. Virgo Eva appellatur, vel tropice, quia a peccato pura erat, vel respectu habito ad veterem opinionem, peccatum Protoplastorum primum in coniugii usu positum fuisse e). Itaque nec hoc loco corruptio naturalis, ab Adamo ad posteros derivata, docetur. Etiam si tandem quaedam ad peccandum proclivitas hominibus natura inesse statueretur, quod tamen mihi aliter se habere videtur, tamen nec hoc Justino adversaretur, qui, etsi strenuus libertatis humanae vindex, daemones, a quibus homines ad peccandum alliciantur,

d) δια παρθενον ανθρωπος γεγονικαι, ου και δι ης εδεν η απο ιδως παρακη την αρχην λαβει, δια ταυτης της εδου και καταδουσιν λαβοι. Qua ratione παρακη destruenda sit, sequentia declarant, nempe malorum daemonum et hominum potestatem abrogando, eis vero, qui malitiae renunciant, et fidem habeant, immortalitatem largiendo.

e) Haec erat opinio Encratitarum, quam Clemens Al. impugnat, etsi concedat, eo peccasse Adamum et Evam, quod immaturi dum adhuc essent, ad coniugium accesserint. Strom. I. III. p. 554. 559.

tur, adiutricem habere *την εν εματω παλην προς παντα και ποιηλην  
φουσει επιθυμιαν f)* affirmat.

§. XL

Deinde in notione, quae de Spiritu sancto proponitur, repugnare Dialogum Apologiis ven. Langius existimat. In illo enim Spiritum sanctum ceu diversum a λογω describi, in Apologiis vero Spiritus nomine ipsum λογον designari. Verum, etsi recte moneatur, in Apologiis Spiritus et λογου nomina inter se interdum permutari g), non effici inde, me quidem iudice, potest, Spiritum sanctum ex Justini mente eandem ac λογον esse personam. Obstant enim loca clarissima, quibus Spiritus a Logo distinguitur, illicque tertius huic vero secundus inter obiecta venerationis Christianorum locus assignatur h). Mihi quidem regulis iustae interpretationis convenientius videtur, ex his locis, ubi Justinus ex instituto fidem Christianorum de Logo et Spiritu tradat, illa explicari, in quibus obiter tantum Spiritus et λογου mentio fiat, quam ad illa haec accommodari. Nec deest ratio, qua illa cum his ita conciliari possint, ut salva tamen maneat Spiritus sancti a λογω diversitas. Quam rem cum accuratissime atque doctissime expositam videam a venerando Keilio i), ut de ea plura dicam, non est opus. Profiteor tantum,

D 2

f) Apol. mai. p. 58.

g) Inspiratio enim prophetarum, quae alias Spiritui adscribitur, pluribus locis et λογω tribuitur. p. 76. et λογος appellatur πνευμα. p. 76.

h) Apol. mai. p. 60 et p. 56.

i) In commentatione: Ob die ältesten christlichen Lehrer einen Unterschied zwischen



tum, huius Viri eruditae observationibus, omnem, qui de conciliatione effatorum Iustini menti inerat, scrupulum mihi exemptum esse.

## §. XII.

Tandem an doctrina de mortis Iesu consilio et effectibus in Dialogo prolata Iustini effatis contraria sit, disquirendum est. In Dialogo notionem satisfactionis Christi vicariae significari observat ven. Langius, cuius in Apologiis ne vestigium quidem deprehendatur. Quae si omnia concederem, nulla tamen inde repugnantia elici posset. Cum enim Iustinus in Apologiis satisfactionem vicariam silentio praetereat, nunquam vero neget, haud veri dissimile esset, eum in libro, in quo de sacrificiis aliisque institutis Judaicis agendum esset, mentem suam fusius explicandi occasionem habuisse, quam in scripto Imperatoribus dedicato. Disquisitio enim accuratior de beneficiis a morte Christi pendentibus non adeo gravis et necessaria videbatur antiquis Patribus, ut quovis loco eam instituendam putarent *h*). At etiam si his insistere nolim, nulla, ni fallor,

satis-

zwischen dem Sohne und heiligen Geiste gekannt, und welche Vorstellungen sie sich davon gemacht haben? Eine patristische Untersuchung. Inseta est haec commentatio parti quartae des Magazins fuer christliche Dogmatik und Moral herausgegeben von D. J. Fr. Flatt; p. 34 seqq. Et ea, quae Vir venerandus passim contra meum libellum (Handbuch der Dogmengeschichte) monuit, ita sunt solide et accurate dicta, ut in plerisque me consentientem habeat.

*h*) Quod probatur insigni Irenaei loco, quo disquisitio, quare Logos humanam carnem

satisfactionis Christi vicariae certa vestigia Dialogo insunt. Video quidem, Jesum sacerdotem summum et sacrificium appellari *k*), aut non haerendum est in his, quae Christiani ex V. T. et ex doctrina Apostolorum hauserant, nominibus, nisi constet, quo sensu Patres eis usi sint. Clemens e. gr. Alexandrinus, etsi saepius Jesum sacerdotem victimamque appellet, satisfactionem nihilominus Christi vicariam ignorasse videtur. Deinde video, homines fide per sanguinem et mortem Christi purgatos dici *l*), sed modum, quo purgatio haec per sanguinem Christi facta sit, non definiri. Morti Christi servatio eorum, qui maledictione digna perpetraverint, adscribitur *m*), at haec servatio in antecedentibus declaratur, et in eo ponitur, quod Jesus homines a malitia et idololatria abduxerit. Notione satisfactionis vicariae, ni fallor, haec continentur: Jesum iustitiae divinae

carnem induerit atque passus sit, inter ea capita refertur, quae ad doctrinam publicam non pertineant, privatoque doctorum studio relinquenda sint Adv. haer. I. l. c. 10.

*k*) Jesus exempli gratia προσφορα υπερ παιτων των μετανοειν βουλομενων vocatur p. 259, at quo sensu, patet ex pagina sequenti, quia nempe per Jesum passum liberati Christiani a pravitate, daemonesque destructi sint. Simili ratione sacerdotalis Christi dignitas in eo ponitur, quod nos a sollicitationibus Diaboli liberaverit p. 343, 344.

*l*) Μηκει αιματι τραγαν και προβαταν, η σποδα δαμαλως η σιμιδαλιως προσφοραις καθαριζομενους, αλλα πισει δια του αιματος του χριστου και του θανατου αυτου, ος δια τουτο απεθανεν Dial. p. 229.

*m*) ουκ εστι δε και κατα χριστου του θιου καταρα κειται, δι ου σωζει της καταρας αξιων πραξαντες p. 322.

vinae ita satisfecisse, ut poenas a toto humano genere perferendas ipse lueret. Quam notionem in Dialogo non deprehendo, cuius auctor semper, ubi accuratius consilia mortis Christi exponit, in fracta Daemonum potestate subsistit.

§. XIII.

Supereft quartum argumentum, quo Dialogum alius quam Iustini auctoris esse probatur, inter omnia forsan levissimum. Analogiae contrarium esse censetur, Christianum, qui paganus fuerit, in refutandis Iudaeis occupari. Consentaneum enim esse, quemlibet ad populares suos se convertere, Christianumque, qui sacris Iudaeorum addictus fuerit, Iudaeos, qui vero e paganorum numero fuerit, paganos de veritate fidei Christianae edocere. Verum an haec analogia aliquo nitatur fundamento, nec pro arbitrio tantum assumpta sit, ego vehementer dubito. Christiani doctores prompti quidem erant ad eas doctrinas, quas, antequam Christianam fidem amplecterentur, ipsi secuti essent, impugnandas, sed quare minus verisimile putemus, eos etiam in aliorum rei Christianae adversariorum obiectionibus diluendis operam posuisse? Certe illa analogia Historiae ope non confirmatur, sed prorsus convellitur. Quemadmodum iam Paulus Apostolus, quamvis Iudaeus, et pagani veritatem religionis Christianae persuaserat, ita haud pauci scriptores, qui antea Romanae et Graecae superstitioni dediti erant, Iudaeos confutarunt. Conscripsit enim Tertullianus, Romano milite prognatus, et ipse gentium sacris, antequam Christo nomen daret, addictus, adversus Iudaeos libellum.

hum. Praeterea Clemens Alexandrinus, teste Photio ad antiquiora testimonia provocante *n*), singulari libro, qui dudum interiit, Iudaeorum errores impugnavit. Collegit tandem Cyprianus primùm Rhetor deinde Episcopus Carthaginiensis testimoniorum adversus Iudaeos libros tres, in quibus magnam locorum V. T. copiam coëgit. — Haec cum existent exempla, et eos, qui e paganorum castris ad Christiana accefferint, contra Iudaeos libros exarasse, fictam esse apparet analogiam illam, quã duce Dialogus a Iustino non esse conscriptus iudicatur.

§. XIV.

Huc usque in argumentis, quibus Dialogum Iustini *γνησιον* foetum non esse, V. Langius probare voluit, examinandis versati sumus, nec ea talia esse, quibus res conficiatur, ostendimus, eaque opera satisfecisse nostro proposito videri possemus. Si enim nulla certa indicia alius auctoris libello insunt, nihil est, quod impediatur, quo minus antiquorum testimoniorum, Iustino ipsum tribuentium, auctoritatem sequamur. Attamen addi quaedam possunt, quibus fides illorum testimoniorum confirmetur. Etsi enim ob consilii discrimen diversitas aliqua inter Dialogum et Apologias, sicuti iam monuimus, intercedat, haud difficulter tamen in multis rebus similitudo quaedam eorum deprehenditur, cuius exempla nonnulla proferam. Iustinus Philosophum ex Platonis schola se fuisse profiteretur, ante-

*n*) και γι και ὑφ' ἑτερον πεποιθηται μεταστραφαι — κατα των ακολουθουντων τα των Ιουδαιων κλωνη, οι Αλεξανδρα Ιεροσολυμων επισκοποι προσειπεν ιδοξε. Phot. Biblioth. Cod. CXI.



quam Christo nomen daret o), qualem etiam Dialogi auctor se describit p). Deinde contendunt Apologiae et Dialogus, in iis, quae in veteri Codice descriptae sint, revelationibus non patrem sed filium apparuisse, reprehenduntque Iudaeos hoc vel ignorantes vel negantes q). Duplex adventus Christi, alter iam praeteritus humilis, alter instans gloriosus in utrisque accurate distinguitur, parique fere modo describitur r). Filius Dei in utrisque a Patre distinguitur, formulisque similibus describitur s). Consentiant praeterea Mythologiam Graecorum daemonum impulsu effectam atque ad imitationem eorum, quae in V. T. tradantur, esse compositam t). Finem adventus et mortis Christi primarium in destructione potestatis daemonum (*εν καταλυσει των δαιμονων*) ponunt u). Haeretici (Gnostici) acriter reprehenduntur, tanquam Athei describuntur x), eorumque doctrina ad daemones auctores refertur y). Quod ad reditum Christi attinet, in Dialogo doctrina de regno mille annorum

o) Apol. min. p. 50.

p) Dial. p. 218.

q) Apol. mai. p. 95, 96. Dial. p. 276 sqq. p. 283. p. 356, 357.

r) Apol. p. 87. cf. Dial. p. 264, 268. p. 350.

s) *ταυτο τω οντι απο του πατρος προβληθεν γεννημα προ παντων των πνευματων ουκ ην τω πατρι* Dial. p. 285. Cui loco perfecte respondet alius Apologiae minoris. *Ο δε υιος εκεινου, ο μοτος λογομοτος κυριως υιος, ο λογος προτων ποιηματων και ουκ ην και γεννηματος* p. 44. — Alias similitudines e. gr. *filium dicitur vocari* Ap. mai. p. 61. Dial. p. 284, 358 non recensco.

t) Apol. p. 89. Dial. p. 294. fin. 295, 297.

u) Apol. min. p. 45. cf. Dial. p. 260, 264, 327.

x) Apol. mai. p. 92. cf. Dial. p. 253.

y) Apol. mai. 60, 70. Dial. p. 308.

in his terris constituendo, cuius metropolis Hierosolyma futura  
 sunt, exponitur 2). In Apologiis huius quidem dogmatis aper-  
 ta mentio non fit, at auctorem non alienum ab eadem senten-  
 tia fuisse inde colligitur, quod resurrectionem mortuorum et  
 indolem corporum fuscitatorum eodem, quo Chiliastae soleant,  
 modo explicet a). Quare vero Chiliasmum non aperte profes-  
 sus est in Apologiis Iustinus? Causa in promptu est. Impruden-  
 tis sane fuisset, paganis, quid? quod Imperatoribus Romanis  
 spem regni terrestris, per Iesum constituendi exponere, cum  
 qua spe et expectatio ruinae, imperio Romano proxime im-  
 minentis, intime coniuncta erat. A consilio Iustini, qui inno-  
 centiam Christianorum Imperatoribus approbare, et his ab illis  
 nihil timendum esse ostendere sibi proposuerat, maxime alienum  
 erat, talem doctrinam vel levissime tangere, quae invidiam cre-  
 are Christianis, et suspicionem movere posset, nova eos moliri,  
 et insignem rei publicae immutationem expectare. Tandem,  
 quod inprimis attentione dignum videtur, conveniunt Apolo-  
 giae cum Dialogo in Evangeliiis *Απομνημονευμάτων των Αποστόλων*  
 nomine designandis b). Quod nomen cum plane singulare sit,  
 nec quis alius inter Christianos scriptores eo Evangelia compel-  
 laverit, eo magis hac convenientia confirmatur, eundem esse et  
 Apologiarum et Dialogi auctorem.

## §. XV.

- 2) p. 306. 307.  
 a) Apol. mai. p. 87 et 87.  
 b) Apol. mai. p. 75. 98. Dial. p. 327. 328. 329. 331. al.

E



§. XV. Superfunt denique et aliae quaedam rationes, quae faci-  
ant, ut, suppositum esse Iustino Dialogum cum Tryphone, per-  
suaderi mihi aegre patiar. Si enim non vere scripsit hunc libel-  
lum Iustinus, vel ex errore ipsi attributus, vel ex fraude ipsi  
affictus fit necesse est. Ad errorem rem referri non posse do-  
cet ipse liber, in quo auctor se Iustinum esse haud obscure  
prodit. Nam non Samaritanum solum se appellat, sed ad Apo-  
logiam etiam Imperatori exhibitam ita provocat, ut Iustini  
Apologiam intelligendam esse appareat c). Superest igitur so-  
lummodo, ut sumamus, hominem nobis ignotum simulato Iu-  
stini nomine librum composuisse. Verum et tunc difficultates  
haud remouentur. Certe istum hominem eodem quo Iustinum  
tempore vixisse oportet, nam istius aetatis, non vero recentio-  
ris esse Dialogum indiciis sat multis constat. At coeuum  
scriptorem alius viri nomen operi suo imposuisse vix veri est  
simile. Libri recentiore tempore confecti eum in finem antiquis  
doctoribus adscribi solebant, ut opiniones in eis prolatae vetustatis  
auctoritate commendarentur, quod consilium in librum ipsa Iustini  
aetate confectum non cadit. Attulit quidem ven. Langius quas-  
dam rationes, quare Dialogi scriptor Iustini nomen sibi vendi-  
caverit. Statuit enim, Iustinum cum Tryphone docto Iudaeo  
collo-

c) Ουδε γαρ ἀπο τοῦ γένους τοῦ ἱεροῦ, λέγω δὲ τῶν Σαμαρείων, τινὲς φροντὶδα πειρου-  
μένους, ἐγγράφως καταγράψαντες ἐπιποιήσαντες αὐτοῦς, πειδομένους τῶ ἐν  
τῶ γένει αὐτῶν μαγῶ Σιμωνί etc. pag. 349. Dubium est, utrum ad prio-  
rem, an ad posteriorem Apologiam respiciatur. In utraque enim Simo-  
nis magi mentio occurrit. Apol. mag. p. 69. 91. min. p. 52.

colloquium habuisse, cuius eventus cum non in honorem Iustini cessisset, hunc, ut rei Christianae confuleret, ab amico Judaicae Theologiae perito, Dialogum suo nomine conscribendum curasse, vel etiam, cum rumor vagaretur, Iustinum cum Tryphone disputasse, aliquem Christianum sub nomine Iustini iam mortui Dialogum composuisse. Utrique explicationi sive coniecturae haud pauca sunt, quae obstant. Prior, quam V. Langius praeferendam esse iudicat, non ex antiquitatis moribus, sed recentioris temporis ratione repetita videtur. Quemdam ab alio disputationem conscribendam curasse, et suo tamen nomine edidisse, nostra aetate interdum accidisse fertur, at ex antiquiori tempore nullum eius rei exemplum memini. Deinde si amicus Iustini Iudaeos quos aggrediebatur, fortius Iustino impugnare poterat, quare nomen suum celaret aliamque personam prae se ferret? Si Iustinus, uti conicitur, in disputatione cum Iudaeo superatus erat, nonne longe convenientius Christianus alius nondum devictus suo nomine defendendae rei Christianae partes suscepisset, terribilior Iudaeis futurus adversariis, quam is, cuius nomen victoriae iam reportatae memoriam Iudaeis revocaret, novaeque reportandae victoriae spem faceret? Quare denique vir ingenio et doctrina praeditus hominis indocti et mediocri ingenii — quales nempe V. Langius auctorem Dialogi et Iustinum depingit — nomen in se transtulisset, et pro eo haberi voluisset? Nec veri similis est, alium post mortem Iustini, rumore colloquii cum Iudaeo olim habiti ductum, Dialogum composuisse? Qui enim factum sit, ut quis solo tali rumore ad suscipiendum eiusmodi opus impelleretur, ego non facile comprehendo. Constat porro, in ecclesia catholica statim post Iustini tempora auctoritatem nostrorum Evangeliorum agnitam fuisse. Auctor igitur Dialogi, qui Iudaeo-christianorum et Gnosticorum dogmata reiiciendo ad catholicam Ecclesiam se pertinere monstrat, si post Iustini aetatem vixisset, non ad *Ἀπομνημονεύματα Ἀποστόλων* sed ad nostra Evangelia provocasset. Indicia denique illa, quibus Dialogi auctor se esse Iustinum designat, non ita quidem sunt tecta atque obscura

